Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1099
Quelle:
Copyright:

XX. *fol. eod.* p. 2. Carmen versuum 20. cujus initium:

Hostia, coniugium, baptismus, qualia primo,
Talia nunc. Res ipsa redit. Euanuit unda &c.

Agit de Baptismo et Circumcisione, et quamvis in *Beaugendrei Codicibus* non fuerit, cum tamen utrinque *Hildeberti* Carminibus intercipiatur, non moror illud Eidem adtribuere.

XXI. *fol.* 63. Carmen versuum 18. incipiens:

Ade peccatum que conueniens aboleret &c.

In edit. *cit. col.* 1332. inscriptum: *Cur deus homo.*

XXII. *ibid.* p. 2. Carmen elegiacum distichorum 16. Initio:

Tollimur e medio fatis urgentibus omnes &c.

In edit. *cit. col.* 1149. adhaeret immerito Poemati *de Sacrificio Missae.*

Liber de sacra Eucharistia; in nostro vero *Codice* primo incipit a versu 59.

XXIII. *fol.* 64. Carmen, quod edit. *cit. col.* 1151. inscribitur:

Melchisedech legitur panem uinumque dedisse &c.

XXIV. *fol.* 66. Carmen hexametrum versuum 111. quo totum Missae Sacrificium recensetur. Initium ejus est:

Illud supplicium quod presbiter induit ante
Optat adesse fidem, qua debent prima nitere
Ora sacerdotis quociens precingit amictus &c.

то Supplicium pro *Superpellicio* non est sine exemplis ejus aevi. Porro Carmen istud censeo aut partem esse Libri *de sacra Eucharistia*, quae *Beaugendreum* fugerit, aut Opusculum per se integrum *Hildeberti.* Altera ejus *περιοχη* incipit: *Aduentum christi* &c. Tertia: *Ad natum uero* &c. Versus postremus:

Jure deo grates referens plebs ire iubetur.

XXV. *fol.* 68. Tetrastichon de divisione Corporis Christi.

Tres partes sacre de christi corpore signant &c.

Editio